

omne, quod de Deo cogitari ab homine possibile est, cum sane naturalem hominis cognitionem Divina substantia excedat. Hinc firmatur in homine opinio, quæ divinam deceat infinitam excellentiam. Accedit præsumptionis repressio, quæ est mater erroris. Sunt enim quidam tantum de suo ingenio præsumentes, ut totam naturam divinam se reputent suo intellectu posse metiri: æstimantes scilicet, totum esse verum quod eis videtur, & falsum quod eis non videtur. Ut ergo ab hac præsumptione humanus animus liberatus, ad modestam veritatis inquisitionem perveniat, necessarium, vel conveniens, & utile fuit, homini proponi quædam divinitus quæ omnino intellectum ejus excederent. Quid? Quod rerum nobilissimarum cognitio, quantumcumque imperfecta, maximam perfectionem animæ confert: unde quævis ea, quæ supra rationem sunt, ratio humana plene capere non possit; tamen multum sibi perfectionis acquiritur, si saltem eadem qualitercumque teneat fide.

Hiscæ præcipue argumentis nobile ingenium Thomæ agebat, ut divinis attributis consonam, nobisque maxime utilem, suaderet revelationem, quæ Supremum Numen veritates divinas, quæ nexum necessarium, aut sufficientem non habent cum iis quæ facta sunt, neque per ea quæ facta sunt innotescere possunt, voluerit, sicuti poterat, proponere ac manifestare. Præsto sunt etiam & decentiæ & utilitatis rationes, ut eadem divina revelatio ad eas quoque protenderetur veritates, quæ humanæ rationis inquisitioni perviæ dicuntur. Quarto ejusdem Libri primi præcedente Capite rem hanc illustrat Sanctissimus Doctor. Si namque veritates id genus naturali dumtaxat rationi inquirendæ relinquuntur, sequeretur quod paucis hominibus Dei cognitio inisset. Plurimi propter complexionis indispositionem minus apti sunt ad sciendum: impediuntur alii necessitate rei familiaris quominus otio contemplativæ inquisitionis potiri queant, ut ad summum fastigium humanæ cognitionis pertingant, Dei scilicet, ejusque attributorum, notitiam. Laborant alii pigritia qua renuunt magnos adsumere labores studii, sine quibus ad prædictæ veritatis inquisitionem perveniri non potest. Vel illi præterea qui ad ejusdem veritatis cognitionem aut inventionem pertingerent, vix post longum tempus id adsequerentur, tum propter hujusmodi veritatis profunditatem, tum propter necessarium multiplicium cognitionum prævium apparatus, tum propter passionum motus, quibus anima commota non est apta ad tam altæ veritatis cognitionem. Quid ergo? Remaneret humanum genus in maximis ignorantie tenebris: cum Dei cognitio, quæ homines perfectos & bonos facit, non nisi quibusdam paucis, & his paucis etiam post temporis longitudinem proveniret.

Neque prætereas, quod investigationi rationis humanæ plerumque falsitas admiscetur propter debilitatem intellectus in judicando, & phantasmatum permixtionem. Hinc facillime accederet primo, quod apud multos in dubitatione remaneret ea, quæ sunt verissime demonstrata, dum vim demonstrationis ignorant: præcipue cum videant, à diversis, qui Sapientes dicuntur, diversa doceri. Contingeret etiam inter multa scilicet vera quæ demonstrantur, immisceri aliquando falsum; quod quidem non demonstratur, sed aliqua probabili vel sophistica ratione asseritur, quæ interdum demonstratio reputatur. Hiscæ vitis, & absurdis tota scædet Veterum Gentilium Philosophia, quæ divinas veritates, cæteroque pervias lumini naturali, aut minime adsecuta est, aut erroribus & commentis turpissimis immixtas proponit. Et ideo oportuit per viam fidei, fixa certitudine, ipsam veritatem de rebus divinis exhiberi hominibus; ut sic omnes de facili possent divinæ cognitionis participes fieri, absque dubitatione, & errore.

Jam collige, intelligibilium divinarum alia distingui oportere, quæ nativum rationis creatæ lumen per sese spectatum non excedunt: alia vero, quæ non nisi gratuito divinæ revelationis favore innotescere possunt. Quæ in re labi nonnullos animadverto inter Heterodoxos Religionis revelatæ vindices, qui necessariam ac utilem hominibus revelationem divinam vindicantes, argumentum sumunt veluti præcipuum ex eo corruptionis & ignorantie statu; in quo nasci homines experimur. Arsplendidum, ac vegetum, & efficax fuerit nativum creatæ mentis lumen: sunt absque dubio veritates, ad Deum pertinentes, quæ illud omnino excedunt.

3. Divinæ revelationis, quæ utriusque generis veritates divinas patefaciat, possibilitas innotescit, decentia, utilitas. An se, suaque, sive humanæ rationi pervia per ea quæ facta sunt, sive rationis humanæ perquisitionem omnem excedentia, detegere ac revelare voluerit Supremum Numen, quæstio facti est. Hujusce Revelationis exstantiam, revelatæque Religionis veritatem adserunt Hebræi, & Christiani: Librosque proferunt ex divina, ut ajunt, inspiratione conscriptos, qui divinam complectuntur revelationem; divinas, nempe veritates fide tenendas, cultum peculiarem exhibendum Deo, moresque hominum in ordine naturali, & in ordine superiori gratiæ componendos.

An argumenta præsto fuerint, quæ Deum hæc voluisse omnia revelare suadeant prudenti cordatoque cuique? Plurima sunt, ac luculentissima, quæ rei conditio patitur: quibus nempe quæstiones, quæ facti alicujus exstantiam vocant ad examen, feliciter ac solidius expediri umquam possunt. Pro sua virili rem agit accuratissime S. Thomas Capite vi. ubi ea doctrinæ semina spargit omnia quæ postea Viri docti evolventes, ac declarantes & amplificantes, latissimas adornarunt apologetis adversum impios Divinæ Revelationis, Revelatæque Religionis hostes.

Integrum affero textum. „Divina Sapientia ad confirmandum ea, quæ naturalem cognitionem excedunt, opera visibiliter ostendit quæ totius naturæ superant facultatem: videlicet in mirabili curatione languorum, mortuorum suscitatione, cælestium corporum mirabili immutatione: & quod est mirabilis, humanarum mentium inspiratione, ut idiotæ & simplices, dono Spiritus Sancti repleti, summam sapientiam & facultatiam in instanti consequerentur.“ Sed illud animadversione dignissimum: „prædictæ probationis efficaciam, non armorum violentia, non voluptatum permissione; & quod est mirabilissimum, inter persecutorum tyrannidem, innumerabilem turbam, non solum simplicium, sed etiam sapientissimorum hominum, ad fidem Christianam convocavisse.“ Quid est vero hæc fides Christiana? Illa nempe: „in qua omnem humanum intellectum excedentia prædicantur, voluptates carnis cohibentur, & omnia quæ in mundo sunt, haberi contemptui docentur: quibus animos mortalium assentiri & maximum miraculum est, & manifestæ divinæ inspirationis opus: ut contemptis visibilibus sola invisibilia cupiantur.“ Quonam vero modo hæc acciderint, quæ nemo excogitasset? „Hoc autem non subito, neque casu, sed divina dispositione factum esse, manifestum est ex hoc quod hoc se facturum multis ante Prophetarum prædixit oraculis: quorum libri penes nos, in veneratione habentur, utpote nostræ fidei testimonium adhibentes.“ Inquis fortasse, signa & portenta afferri, quæ sub oculos nostros non cadunt: Nonne vero, hæc tam mirabilis mundi conversio ad fidem „Chris-

„Christianam, (quam oculis intuemur,) indicium certissimum fuerit præteritorum signorum, ut ea ulterius iterari necesse non sit, cum in suo effectu appareant evidenter? Esset autem omnibus signis mirabilis, si ad credendum tam ardua, ad operandum tam difficilia, ad sperandum tam alta, mundus absque mirabilibus signis inductus fuisset à simplicibus, & ignobilibus hominibus: quamvis non cesset Deus, etiam nostris temporibus, ad confirmationem fidei per Sanctos suos miracula operari.“

Paucis collecta habes argumenta omnia, quæ adduci umquam possint, ac debeant ad hanc facti quæstionem dirimendam: num se Deus, suaque hominibus immediata revelatione manifestaverit? Argumenta intelligo omnia: insita alia, quæ ex ipsis Doctrinæ revelatæ characteribus ducuntur: alia adscititia, & extranea, quæ depromi solent ex illorum conditione, qui se divinitus inspiratos præferebant, ex editis miraculis, ex Prophetiarum eventu; conversione mundi, Religionis propagatæ modo, persecutorum tametsi furentium imbecillitate, constantia Martyrum, ac perenni omnium sæculorum testimonio. Innumera prostant elegantissimæ, ac robustæ Vindicæ, quibus hoc argumentum Viri illustres, veteres, & recentes illustrant, in arenam descendentes adversum Divinæ revelationis hostes: nihil vero dictum, nihil præclarissimis eorum in Dissertationibus propositum, quod noster Aquinas non delineaverit. Perennæ omnium sæculorum testimonium memoravi; ut inde pateat, non solum jus divinum, quod veritates nativum creatæ mentis lumen excedentes complectitur, genuinis traditionibus confirmari debere, tamquam aptissimis argumentis; verum jus etiam ipsum naturale, utpote à Deo quoad plurimas veritates per sese nativo lumini pervias revelatum, eandem traditionum auctoritate, & populorum consensu exponi & illustrari maxime posse, ac debere.

4. Inconcussam hujusmodi argumentorum vim attenuare nituntur impii: tum primo exemplum objicientes falsæ Religionis vel Gentilium, vel Mahometis, longe lateque propagatæ: tum præterea Mystera fidei nostræ, veluti rationi adversa, cæterisque veritatibus quæ naturali innotescunt lumine, contraria traducen-tes. Nullum non movent lapidem Deistæ, ut hæc argumenta duo exaggerent: quorum vim, si qua est, pro virili agunt Christiani Scriptores doctissimi, ut elidant ac profligent. Labores eorum, ac præstantissima edita opera nemo satis commendaverit; sed in hanc messem auspiciatissimo jam falcem suam miserat Aquinas.

Quid enim Mahometem, ejusque Religionem obrudis? Hic alia via processit, inquit Aquinas eodem in Libro primo, eodemque Cap. vi., Carnalium quippe voluptatum promissis, ad quarum desiderium carnalis concupiscentia instigat, populos illexit. Præcepta etiam tradidit promissis conformia, voluptati carnali habenas relaxans, quibus in promptu est à carnalibus hominibus obediri. Documenta etiam veritatis non attulit, nisi quæ de facili à quolibet mediocriter sapiente, naturali ingenio, cognosci possint. Quin potius vera quæ docuit, multis fabulis, & falsissimis doctrinis immiscuit. Signa etiam non adhibuit, supernaturaliter facta: quibus solum divinæ inspirationi conveniens testimonium adhibetur; dum operatio visibilis quæ non potest esse nisi divina, ostendit Doctorem veritatis invisibiliter inspiratum. Sed dixit, se in armorum potentia missum: quæ signa etiam latronibus, & tyrannis non desunt. Ei etiam non aliqui sapientes in rebus divinis, & de divinis & humanis exercitati, à principio crediderunt; sed homines bestiales, in desertis morantes, omnis doctrinæ divinæ prorsus ignari: per quorum multitudinem alios, armorum violentia, in suam legem coegit. Nulla etiam divina oracula præcedentium Prophetarum ei testimonium perhibent: quin potius quasi omnia Veteris & Novi Testamenti documenta, fabulosa narratione, depravat, ut patet ejus legitime inspiciente. Unde astuto consilio, libros veteris & novi Testamenti suis sequacibus non reliquit legem dos, ne per eos falsitatis argueretur. Opera perlege, quæ contra Alcoranum plurima, ac solidissima prodire: quæ Viri doctissimi amplo versant tractatu argumenta, ad hæc ab Aquinate proposita capita redigi omnia, proprio experimento constabit.

Pari convellitur rationum vigore Religio, aut superstitio Gentium. Totâ innititur incertis, & fallacibus hominum traditionibus: quas ab ignorantia, aut errore, aut prava affectione animi, aut fraude doloque invecitas, probari & evinci potest. Viria probantur, ac turpitudines in disciplina morum: eademque vel ipsis hominibus indigna, Deo Diisque attribuntur. Numina suprema plura, atque inter se adversa multiplicantur: ac debitus uni Deo cultus transfertur in homines, in sidera, in elementa, in villia naturæ & hominum opera. Deque Deo, ejusque attributis, si quæ veritates, erroribus putidissimis immixtæ proponuntur. Summa hujusce rei Capita innuo, quæ ipse Thomas in Operis quo de agimus, decursu uberius pertractat; eademque, non alia, amplificaverunt alii.

5. Mystera fidei christianæ pugnatæ contra rationem, contendunt postremo Religionis revelatæ hostes, minime abnuunt Petrus Bælius. Impium illorum consilium est, ut Mystera fidei, sicuti rationi adversa, ita tamquam falsa & commentitia rejiciant. Ea mente rationis pugnam cum fidei admittunt se, profiteatur Bælius, ut ipsius fidei triumphos de prostrata ratione canat. Hanc illum simulasse pietatem, gravissima suspicio est: ac illud etiam impium ipsi consilium insedis, ut fidei, quam ait rationi obsistere non valere, vanitatem obruderet nihil tale cogitantibus.

Utramque pugnam validissime pugnavit Sanctus Thomas Aquinas. Contra Bælium est, quæ constituta Capite VII. thesis legitur his verbis: Quamvis prædicta veritas fidei christianæ capacitate humanæ rationis excedat; hæc tamen quæ ratio naturaliter indita, habet huic veritati (fidei christianæ) contraria esse non possunt. Naturales veritates intellige, quas mens creata cognoscit lumine ex iis hausto, quæ facta sunt, sive ex reflexione sui ipsius, sive ex rerum sensilium perceptione. Aliæ sunt, quæ vocibus rite expositis intimum ac intimam nexum subjecti & attributi: aliaque, quæ ratiocinio colliguntur. Ad hanc posteriorem classis pertinent veritates aliquæ divinæ, quæ ex effectibus notæ fiunt, supremi principii exstantia, virtus ejus omnipotens, ac alia attributa quæ supremo principio conveniunt. Mystera fidei christianæ pertinent ad Deum, minime per ea quæ facta sunt cognitum, sed ad ipsum cujusmodi est in se: quo ipsum modo ratio naturalis conspiciere non valet, cum nullus effectus naturalis ipsum adæquet; neque ullum, aut sufficientem, qui appareat, nexum exhibeat, ut inde ad ipsum, cujusmodi est in se, cognoscendum adsurgat.

Utrasque veritates admittit Bælius. Pugnam inter utrasque exerceri, contendit ille, pernegat Aquinas: quod his evincit argumentis. Ac primo, quæ naturaliter rationi sunt insita, sive illa per evidentem demonstrationem nota fiant, sive immediatum subjecti nexum cum attributo offerant, verissima esse constat: in tan-

tum ut nec ea esse falsa, sit possibile cogitare. Atqui vero neque id quod fide tenetur, cum tamen evidenter divinitus confirmatum sit, (sive cujus revelatio divina eo innotescat genere argumentorum, quæ num. 3. allata sunt,) fas est credere esse falsum: quod etiam aut vera aut simulata pietate ductus, fatetur Bælius. Hinc igitur quia solum falsum vero contrarium est, ut ex eorum definitionibus inspectis manifeste apparet; impossibile est, illis principiis quæ ratio naturaliter cognoscit, prædictam veritatem fidei esse contrariam.

Ratio sequitur alia, aptissimo exemplo illustrata. Namque illud idem, inquit Aquinas, quod inducitur in animum discipuli à docente ipsa Doctoris scientia continet, nisi doceat fide: quod de Deo nefas est dicere. Atqui, principiorum naturaliter notorum cognitio nobis divinitus est indita, cum ipse Deus sit auctor nostræ naturæ; ac rationem indiderit, quæ veritates nonnullas per sese claras immediate cognoscit, aliasque præterea lumine priorum collustratas. Itaque hæc principia, (omnesque veritates quas naturales appellamus,) etiam divina Sapientia continet. Quidquid igitur adversatur principiis, ac veritatibus hujusmodi, est divina Sapientia contrarium. Non igitur à Deo esse potest. Ea igitur, quæ ex revelatione divina per fidem tenentur, non possunt naturali cognitioni esse contraria.

Tertium profert Sanctus Thomas momentum rationis: Contrariis rationibus, inquit, intellectus noster ligatur, ut ad veri cognitionem procedere nequeat. Si igitur contrariae cognitiones nobis à Deo immitterentur, (naturali pervia lumini altera, & altera revelationis lumine innixa;) ex hoc à veritatis cognitione intellectus noster impediretur: quod à Deo esse non potest. Bælianum monstrosum commentum de fidei pugna cum ratione, luculentioribus argumentis nemo exposuit umquam. Hinc vero colligendum Thomas docet: Quæcumque argumenta contra fidei Mystera ponantur; hæc ex principiis primis naturæ inditis per se notis, aliisque ex veritatibus naturalibus, non recte procedere, nec demonstrationis vim habere: sed vel esse rationes probabiles, & apparentes, vel sophisticas: & sic ad ea solvenda locum relinquere.

6. Verissima fatebatur Bælius fidei christianæ mysteria, & nihilominus cum naturali ratione pugnare: pugnam hanc, quam putant, adsumunt loco principii Deistæ, ut inde conficiant, eadem mysteria falsa esse. Fidem inter, ac rationem ostendit Aquinas, pugnam exerceri nullam: unde principium statuit, quo impios refellat, mysteriorum ac revelationis veritatem inficiantes. Præter divina intelligibilia, quæ naturali rationi sunt pervia, alia docet distingui oportere, quæ naturali quidem rationi non adversantur, sunt attamen supra rationem. Diserte ait ille Capite 111. aliqua intelligibilia divinatorum dari, quæ humanæ, creatæque cujusque rationis penitus excedunt ingenium: & Capite VII. veritati fidei, tametsi humanæ & creatæ rationis capacitatem excedenti, non esse tamen contrarias sive primas sive inde illatas, veritates rationi naturali pervias.

Id veritatum genus pertinet ad Deum, cujusmodi est in se. Atqui notitiam Dei, cujusmodi est in se, viribus nativis obtinere non valet mens creata. Nativum ejus lumen subministrant ea, quæ facta sunt: creata scilicet ipsa mens, quæ per intimam conscientiam se novit, ac sensilia quæque hausta per sensus. Hæc vero, utpote effecta à Deo producta, ducunt in ejusdem cognitionem, tamquam primæ causæ: at eadem, utpote causæ virtutem non adæquantes, ducere non possunt in ejusdem, cujusmodi est in se, notitiam adæquatam. Hæc omnia Thomas locis jam memoratis: quibus efficitur, intelligibilia divina dari verissima supra naturam.

Eorumdem intelligibilium veluti duæ distinguuntur classes. Sunt alia, quæ necessarium nexum non habent cum natura: sed ea tamen cum naturali rerum ordine Deo placuit pro suæ Sapientia consilio, pro suæque voluntatis nutu colligare. Præsto exempla suppetunt in Unione hypostatica, in originalis peccati propagatione in Redemptione mundi per Jesum Christum, hominum adoptione in filios Dei, hæreditate æterna, quæ est visio clara in patria. Sunt alia vero, quæ nexum habent cum natura, seu cum effectis, quæ naturalia appellamus: qui tamen nexus rationi naturali non apparet. V. g. inter conditas creaturas, tresque Sanctissimæ Trinitatis personas nexus est necessarius, qualis causam inter & effectum intercedit; cum tres divinæ personæ creationis opus, & aliud quodlibet ad extra simul peragant. Nexus attamen rationi naturali non apparet: quippe quæ ab effectis quidem virtutem ac omnipotentiam colligit supremi conditoris; tribus tamen virtutem hanc & omnipotentiam, unam eandemque, absque divisione ac diversitate, inesse divinis personis nec utriusque novit, neque nosse valet.

Cur ergo ratio naturalis, quæ veritates hujusmodi, se consulta, perspectas habere nequit, easdem negaverit aut in Deo dari, aut revelari à Deo posse, aut revelatas non esse, utpote commentitias? Ac primo rerum ipsarum sensibilibus plurimas nos proprietates ignoramus, (verba sunt Sancti Thomæ ibidem Capite 111.) eorumque proprietatem, quas sensu apprehendimus, rationem perfecte in pluribus invenire non possumus. Hanc mentis creatæ circa res ipsas naturales imbecillitatem amplissimo tractatu patefaciunt alii. Hunc defectum in rebus cognoscendis Aquinas noster paucis indicat: quem, inquit, quotidie experimur. An ergo vividiores, tutioresque vires habeat ratio nostra ad ea, quæ Dei sunt perscrutanda?

Immo multo amplius illius excellentissimæ substantiæ, quæ omnia transcendit intelligibilia, investigare humana ratio non sufficit. Cur ergo revelata mysteria, ad excellentissimam substantiam, quæ omnia transcendit, pertinentia, eo quod ea satis non capis, neque rationes eorum compertas habes, veluti commentitia rejeceris? Immo divinæ substantiæ supra naturam creatam omnem excessus id necessario exposcit, ut vires in natura non suppetant, quæ ipsam cujusmodi est in se adsequantur, aut ea quæ de ipsa cujusmodi est in se enuntiari possunt, attingere valeant. Mirum denique & absurdum foret, si divina substantia ita creatæ mentis nativo lumini innotesceret, ut nihil de se, suisque profundis posset hominibus & Angelis patefacere Deus gratuito revelationis beneficio, quod ipsis non penitus compertum persperctumque esset.

Habet ratio naturalis, inquit, argumenta contra fidei mysteria. Habet scilicet rationes apparentes, reponit Aquinas, vel sophisticas, ad quas solvendas locus relinquitur: quod ipse Thomas egregie, & uberrime præstitit in hoc adversum Gentes Opere, in aliis passim. Hæc sunt vero quæ scripsit ille in eo, quod versamur, gravissimo Religionis negotio. Hæc eadem, non plura, præstant, dilant, amplificat suis in Apologiis illustres doctique Viri, qui egregias revelationis divinæ, revelatæque Religionis vindicias egerunt.

INDEX LIBRORUM, ET CAPITUM quæ in hoc volumine continentur.

DE VERITATE

CATHOLICAE FIDEI

CONTRA GENTILES

LIBER PRIMUS.

- Cap. 1. QUOD sit officium sapientis.
 Cap. 2. Quæ sit in hoc opere auctoris intentio.
 Cap. 3. Quod in his quæ de Deo confitemur, duplex est veritatis modus.
 Cap. 4. Quod veritas divinatorum ad quam naturalis ratio pertingit, convenienter hominibus credenda proponitur.
 Cap. 5. Quod ea quæ ratione investigari non possunt, convenienter fide tenenda hominibus proponuntur.
 Cap. 6. Quod assentire his quæ sunt fidei, non est levitatis, quamvis supra rationem sint.
 Cap. 7. Quod veritati fidei christianæ non contrariatur veritas rationis.
 Cap. 8. Qualiter se habeat humana ratio ad veritatem fidei primam.
 Cap. 9. Ordo, & modus procedendi in hoc opere.
 Cap. 10. De opinione dicentium, quod Deum esse, demonstrari non potest, cum sit per se notum.
 Cap. 11. Reprobatio præmissæ opinionis, & solutio rationum præmissarum.
 Cap. 12. De opinione dicentium, quod Deum esse, demonstrari non potest, sed sola fide tenetur.
 Cap. 13. Rationes ad probandum Deum esse.
 Cap. 14. Quod ad cognitionem Dei oportet uti via remotionis.
 Cap. 15. Quod Deus sit æternus.
 Cap. 16. Quod in Deo non est potentia passiva.
 Cap. 17. Quod Deus non est materia.
 Cap. 18. Quod in Deo nulla sit compositio.
 Cap. 19. Quod in Deo nihil sit violentum, neque præter naturam.
 Cap. 20. Quod Deus non est corpus.
 Cap. 21. Quod Deus est sua essentia.
 Cap. 22. Quod in Deo idem est esse, & essentia.
 Cap. 23. Quod in Deo non est accidens.
 Cap. 24. Quod divinum esse non potest designari per additionem alicujus differentia substantialis.
 Cap. 25. Quod Deus non sit in aliquo genere.
 Cap. 26. Quod Deus non est esse formale omnium.
 Cap. 27. Quod Deus non sit forma alicujus corporis.
 Cap. 28. Quod Deus est universaliter perfectus.
 Cap. 29. Quomodo in rebus similitudo ad Deum inveniri potest.
 Cap. 30. Quæ nomina in Deo possunt prædicari.
 Cap. 31. Quod divina perfectio, & pluralitas nominum divinatorum divinæ simplicitati non repugnat.
 Cap. 32. Quod nihil de Deo, & aliis rebus univoce prædicatur.
 Cap. 33. Quod ea quæ de Deo, & aliis rebus prædicantur, non dicuntur pure æquivoce.
- Cap. 34. Quod quæ dicuntur de Deo, & creaturis, dicuntur analogice.
 Cap. 35. Quod plura nomina dicta de Deo non sunt synonyma.
 Cap. 36. Quod propositiones quas intellectus noster de Deo format, non sunt vanæ.
 Cap. 37. Quod Deus est bonus.
 Cap. 38. Quod Deus est bonitas.
 Cap. 39. Quod in Deo non potest esse malum.
 Cap. 40. Quod Deus est omnis boni bonum.
 Cap. 41. Quod Deus sit summum bonum.
 Cap. 42. Quod Deus est unus.
 Cap. 43. Quod Deus est infinitus.
 Cap. 44. Quod Deus est intelligens.
 Cap. 45. Quod intelligere Dei est sua essentia.
 Cap. 46. Quod Deus per nihil aliud intelligit quam per essentiam suam.
 Cap. 47. Quod Deus perfecte intelligit se ipsum.
 Cap. 48. Quod Deus primo, & per se solum se ipsum cognoscit.
 Cap. 49. Quod Deus cognoscit alia à se.
 Cap. 50. Quod Deus habet propriam cognitionem de omnibus rebus.
 Cap. 51. Rationes ad inquirendum qualiter multitudine intellectuum sit in intellectu divino.
 Cap. 52. Rationes, quod hujusmodi multitudo intelligibilium non est nisi in intellectu divino.
 Cap. 53. Quomodo multitudo intellectuum sit in Deo.
 Cap. 54. Quomodo divina essentia una existens sit propria similitudo, & ratio omnium intelligibilium.
 Cap. 55. Quod Deus omnia simul intelligit.
 Cap. 56. Quod in Deo non est habitualis cognitio.
 Cap. 57. Quod cognitio Dei non est discursiva.
 Cap. 58. Quod Deus non intelligit componendo, & dividendo.
 Cap. 59. Quod à Deo non excluditur veritas enuntiativum.
 Cap. 60. Quod Deus est veritas.
 Cap. 61. Quod Deus est purissima veritas.
 Cap. 62. Quod divina veritas sit prima, & summa veritas.
 Cap. 63. Rationes volentium subtrahere à Deo cognitionem singularium.
 Cap. 64. Ordo dicendorum circa divinam cognitionem.
 Cap. 65. Quod Deus cognoscit singularia.
 Cap. 66. Quod Deus cognoscit ea quæ non sunt.
 Cap. 67. Quod Deus cognoscit singularia contingentia futura.
 Cap. 68. Quod Deus cognoscit motus voluntatis.
 Cap. 69. Quod Deus cognoscit infinita.
 Cap. 70. Quod Deus cognoscit vilia.
 Cap. 71. Quod Deus cognoscit mala.
 Cap. 72. Quod Deus sit volens.
 Cap. 73. Quod voluntas Dei sit ejus essentia.
 Cap. 74. Quod principale volitum Dei est divina essentia.
 Cap. 75. Quod Deus volendo se, vult etiam alia.
 Cap. 76. Quod Deus uno actu voluntatis se, & alia velit.